



Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Venerabilis Yolanda Priorissae Ad Mariae Vallem in
Ducatu Lucilburgensi**

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. XII. Alberto & Hengenbachia discedentibus, Hymana Yolandam per se, & per alios sine intermissione impugnat. Abbatissa D. Thomae, alia soror Conradi Archi-Episcopi Coloniensis, eam ad suum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

genua provoluta supplex. Persistere tamen in recusando Albertus. Iubet exsurgere & parcere lacrymis, spondens tamen opem in posterum atque auxilium. Urgere nihilominus Yolanda, nec rogando supplicandoque cessare. Cumque inter hæc Albertus movere se loco vellet, illa ueste prehensum repente sistit: iam supplicare, iam blandiri, iam postulare, mixta miserabili eiulatione & copioso fletu: donec Albertus, impar tot affectibus, cessit victus, atque in vestigio Yolandam Ordini suo ritè adiunxit. Illa incredibili plena gaudio in cubiculum suum se recipit; nimirum gratulatura sibi, Deoque, nova Christi Sponsa.

CAPUT XII.

*Alberto & Hengenbachia discedentibus,
Hymana Yolandam per se, & per alios
sine intermissione impugnat. Abbatissa
D. Thome, alia soror Conradi Archi-
Episcopi Coloniensis, eam ad suum Cœno-
bium conatur allicere. Conradus Abbas
Hemerodensis iussu matris eam adoritur.
Triumphat ubiqꝫ Yolanda constantia.*

Sub hæc discedente Bellacostâ Hengenbachia, Henricus moratus aliquanto tempore Albertum, & huic tandem abeundi copiam fecit, remanente

manente interim Hymanâ , eo animo , ut Yolandam , si quâ arte posset , à Prædicatoribus averteret. Dici nequit , quantum Yolanda acerbitatis atque molestiæ exhauserit , dum Hymana noctes atque dies ei incumberet , adhibitis sine fine blandimentis atque precibus , nullo tamen alio profectu , nisi quod perpetuo mœrore excruciat miseræ cognatæ animum. Undè iracundiâ exardescens ob perditam operam suam , alienam impendit. Primùm matri est auctor , ut filiam identidem obiurget. Deindè cum per eosdem dies Bellacostam venissent sodales ex D. Francisci familiâ , hos perpulit , ut Yolanda Prædictores ex animo evellerent. Illi meditatè & solerter comparatis antè rationibus , virginem adoruntur. Sed maiora victi rationum vi , muti atque elingues recessere. Hymana , postquam vidit nihil effici consilio , invidiâ atque indignatione se armat , questa paracerbè apud consanguineos atque cognatos , dementatam adeò Prædicatorum amore Yolandam , ut neque generis sui honorem , neque parentum necessitudinem attendat ; nec esse vim ullam atque industriam , quæ dementiam illam ei eripiat. Undè certamen novum & ingens , idque multiplex & varium. Consanguinei undique coorti Yolandam invadunt. Alter incumberere precibus , alter expostulare atque obiurgare , minari , terrere alias , ut Yolanda tot inter assultus vix respirare liceret. Omne ei unicumque malorum levamen in diurnis nocturnisque

suspirijs, eiulatu, gemitu, & lacrymis, ut pectus vel ferreum moveri atque molle cere commiseratione potuisset. Ubi deinde cessatum à consanguineis, redintegrabant pugnam Sanctimoniales cuiuscumque demum Ordinis. Congrediebantur Sacerdotes atque monachi. Recederent hi, excipiebant alij. Tam gravis tamque acerbus erat Yolandæ sacratorum Deo hominum ille conflitus, ut tolerabiles ficeret cruciatus, quos ei parentes anteà intulerant.

Est ad Gelbim in ditione Trevirorum, haud longè Himmerodensi Cisterciensi Monasterio, Nobile Virginum eiusdem Ordinis, eidemque Monasterio subiectum Cœnobium. Nomen ei à D. Thomâ Cantuariensi Archi-Episcopo martyre. Condidit illud non multò post glorioſi Pontificis cædem, sub annum M. C. LXXI. Ludovicus Dudelsfeldius, cuius filia atque neptis primæ fuere loci Antistitæ, ut in annalibus Trevirorum scriptum est. Crescentibus exinde Cœnobij rebus, Agnes Malbergia, nobili loco nata femina, liberis destituta, D. Thomæ Virginibus testamento fundos aliquot legavit. Id non ferens Rudolphus Malbergius, Agnetis ex fratre nepos, Virgines armis exagitat, & compellit domo profugere, ut in libris Provincialibus Trevirorum traditur. Factum id sub annum M. CC. XXXVII. Sed reversæ tandem ab exilio virgines, instauravere familiam. Per hæc verò tempora, quæ Cœnobium id moderabatur, erat Conradi Ar-

chij

chi-Episcopi Coloniensis soror, Yolandæ sanguine iuncta, adlegendis in Sodalitium virginibus intenta.] Hæc intellecto, agitare Yolandam ineundæ sanctioris vitæ consilia, citis equis Bel-
Iacostam advolans, Henricum Comitem magnopere orat, ut filiam sibi tradat: se eam sextam in familiam suam adscripturam. Henricus delibera-
tione cum suis habitâ, probat unâ cùm conju-
ge consilium. Confestim iussa adesse Yolanda. Ea
ubi Sanctimoniales D. Thomæ advenisse compe-
rit, subodorata quid in se componerent, et si mo-
lestè tulit earum adventum, stitit tamen se evo-
cantibus. Ibi tûm Antistita sic locuta est. Et fa-
mâ, & tuorum querimonijs ad me perlatum est,
esse te in eo, ut inter Sanctimoniales vitam de-
gas. Quo loco id aggredi decreveris, tui consi-
lij est. Cæterùm haud procul hinc Cœnobium
ego moderor, virginum selectissimarum præses.
Omnis penè equester ordo, qui undique frequens
circum nos degit, collectas à me domi meæ ha-
bet puellas. His, nisi Ordinem nostrum aversaris,
te & quinas alias, aggregabo, moxque sacro
omnes habitu convestiam. Yolanda prudens per-
spicaxque rerum, ubi ex parentum clientumque
silentio intellectus, probari omnibus orationem
Antistitæ; rata moderandum animo, frenandum
que eo tempore & loco mentis impetum, urbanè
modesteque respondit: Agnoscere se fidem atque
benevolentiam cognatæ, planè, esse honorificum
sibi sisque, quod offerret, eaque de causâ debere

E 5

se

se gratias; Deumque rogare ut eas referat. Cæterum nondum parentibus visum maturum, ut Sanctimonialem se esse patientur. Quanquam, si in suâ causâ sibi loqui liceat, de parentum consensu forsitan olim fieri posse, ut cœnobiticam vitam amplectatur. Nec defore se, quin eam eiusque Sodales, ubi tempus illud advenerit, commonefaciat. Hæc cùm placeret omnibus tam attemperata Yolandæ responsio, ipsa velut pace partâ ex hoc conflictu discessit. Secuta eam in vestigio Antistita, rata multum se effecisse: & Monitam, inquit, te volo, mea filia, siquidem Ordinis nostri esse desideras, omnia ut antè compares atque provideas: ut vestem & cunctum mundum tuum muliebrem tecum apportes. Ad hæc Yolanda: Haud deero, inquit, muneri meo. Neque enim nescia sum, qui deceat id genus negotij capescere. Si aspirante Numine res terrenas mihi olim deserere contingat, ita cuncta prospexero, ut prosperè feliciterque eventura mihi confidam. Proindè sollicitudinem omnem depone ex animo. His admodum contenta, sed verius elusa, discessit Antistita, plurimùm gaudente eius abitu Yolandâ. Iamque existimabat se à Sanctimonialium femineis assaultibus liberam, pacis aliquid habituram, cùm ecce adeat Himmerodensis Abbas, vir spectatæ sapientiæ. [Conradum monumenta domestica nuncupant.] Is simul atque advenit, Margarita, depositis apud eum de Yolandâ queres, rogar enixè, ut eius expugnat.

pugnationem sibi sumere ne gravetur, si quo modo possit à Prædicatorum Ordine eam avertere. Si ne id quidem ex voto cedat, saltem ad D. Bernardi institutum sectandum inducat. Abbas testatus, quâ fide diligentâque Margaritæ pareret imperijs, Yolandam funditus tentare institit. Iam rogare, iam blandiri, iacere interim etiam minas. Sed quidquid ille incepseret, ad omnia invictus Yolandæ stabat animus; nec ille impugnando, quam ipsa defendendo, erat promptior. Precibus reponere preces: minas emollire lenibus verbis: obiurgationes modestia placare: rationibus interdum etiam instantem revincere: donec iam defervescente ardore, Conradus intellexit, in bonâ causâ puellam sèpè præstare viro. Itaque cum silentio cessit Yolandæ victoriam, & abiit. Negat hoc loco Hermannus, rerum Yolandæ Scriptor, parem certaminibus eius enarrandis inveniri posse orationem. Nullum non hominum genus, nullam conditionem non hisce conflictibus intervenisse. Pugnasse homines æque sacros atque profanos, doctos atque indoctos, viros equestris ordinis, claros genere iuvenes, fortunis & opibus potentes iuxta & egenos. Nec exigui temporis fuisse certamen, sed protractum atque diuturnum, ut miseræ Yolandæ patiendum fuerit penè suprà omne exemplum. Successere tamen prioribus haud leviora mala.